



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An hoc Testamentum propter dicta duo vitia instrumenti à
Notatio confecti pro falso habendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

QUÆSTIO.

An hoc Testamentum propter dicta duo vitia Instrumenti à Notario confecti pro falso habendum?

Dubium non est, quin hoc Testamentum ut falsum possit impugnari; an verò expugnari, & ut falsum reprobari possit aut debeat, in hoc versatur quæstio, quam affirmative decidendam esse suadetur. I. quòd in casu quo agitur de falso Civiliter (nam ubi agitur criminaliter ad pœnam, dolus, falsitas, & damnum tertii concludenter probari debent) sufficienti conjecturæ & probabilis suspicio falsitatis, ut Instrumentum habeatur pro falso, eique denegetur fides. Decius *conf.* 448. n. 28. & *conf.* 602. n. 7. Clarus § *falsum versic.* trita est *com. legis.* Menochi de adipsenda *remed.* 4 n. 700. Cravetta *conf.* 134. n. 39. & alii apud Mascard. de *Probat.* *concl.* 739. n. 4. Sed in proposito agitur super falso civiliter, ut est clarum, quia in ordine ad obtinendam hereditatem, non ad pœnam Notarii falsum Instrumentum erigentis, & 2. Ad sunt graves conjecturæ commissi falsi, & indicia probabilis suspicionis & præsumptionis, uti dum in Instrumento posita reperitur 30 Martii, cum tamen constet fuisse confectum 29. ejusdem, item dum Instrumentum testamentarium se refert ad aliud scriptum in quo testatrix dispositio fuit delineata, per omnia, ut ait, conforme, quod

tamen, circa legatum saltem, verum non est. Et hinc 3. non solum datur probabilis suspicio, conjectura, & præsumptio falsi, sed etiam certitudo; nam immutatio veritatis, in qua consistit falsum & falsitas, omnino est manifesta & evidens, cum ad oculum pateat in *relato* (nempe scripto illo, in quo prius suam dispositionem delineari & concipi fecit testatrix) non inveniri summam legati 600. florenorum expressam, sed spatium vacuum uti tamen dicit *referens* seu instrumentum testamentarium, quod se refert ad dictum scriptum: nam juxta receptam Juris regulam ex *l. asseroto. ff. de hered. instit.* § *Auth. si quis in aliquo C. de Eden.* de sumptum, *referenti non creditur, nisi quatenus apparet in relato.* *Surd. conf.* 5. n. 57. si enim relatum aliter se habet, dispositio referens tanquam erronea corruit. *Barbos. axiom.* 20. n. ult. cum Decian. & Menoch. Pariter manifesta est immutatio veritatis in *dato*, seu in die adscripta. Unde promovetur argumentum 4. Si aliquod instrumentum in una parte substantiali appareat esse falsum, totum vitatur instrumentum in omnibus partibus & capitulis, ac pro falso reputandum est, ut ipsemet docui in *Candidato Jurisprud. Sacre tit. de fid. Instrum.* n. 31. cum

cūm Abb. & multis aliis, quos allēgant Gabriel. tit. de Malefic. concl. 3. & Menoch. l. 5. *presumpt.* 21. Sed in hoc Instrumento Testamenti apparet falsum in parte aliqua substantiali, nempe circa Legatum, & in tali qualitate, ex qua sequitur vel eruitur, etiam cetera esse falsa, quod contingit, si Notarius scribat alium locum, vel aliud tempus, quo tamen negotium non est gestum, uti contingit in presenti: ergo vitiatum in totum, & ut falsum vel saltem ut suspectum totaliter rejici meretur, & non attendi.

Verūm enim verò cum præsumptio Juris stet pro Instrumento & Notario. *l. cūm precibus C. de probat.* donec sufficienter probetur falsitas dolosa, & crimen falsi, censo hæredes ab intestato succedentes testatrici, & castatō testamentō hæreditatem petentes nihil effecturos esse. Ratio 1. est negativa, quia, ut patebit ex solutione argumentorum pro se adductorum non sufficienter probant falsi crimen, licet solum civiliter agatur super falso. 2. Ad inducendam falsitatem tria requiruntur & probari debent: immutatio veritatis, dolus, & damnum alteri illatum, seu debet probari falsitas dolosa & tertio damnosa. DD. passim ex l. 1. 6. 22. 23. ff. *de l. 6. l. 8. C. ad L. Corneliam de falsis. l. 6. C. de dolo malo. Nov. 73. princ.* adeoque committi debet mendacium formale, seu veritas immutari scienter, malitiosè, & deditā operā ad decipiendum; nam nemo *propter*; iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum. *can. 4. caus.*

28. q. 2. Sed dolus à Notario commissus non sufficienter probatur, nec est præsumendus, sed potius error, juxta omnes. ex l. quoties §. 1. & ibi Bartol. ff. de hæred. instit. Alex. l. 1. *conf.* 40. *de l. 2. conf.* 27. latissimè Mascardus de probat. *concl.* 644. specialiter in presenti casu præsumi potius debet error, quàm prava intentio decipiendi in Notario; quàm enim facile contingit, ut quis erret in diebus mensis, & putet v. g. jam fluere trigessimam, cūm tamen fluat primum vigesima nona mensis, vel scribit per errorem v. g. 22. loco 21. de in facile potuit contingere, ut testatrix prius adhuc deliberans, quam quantitatem velit legare fratri ac forori, interea reliquerit spatium vacuum in primo scripto, proponens postea exprimere per se vel per notarium, quod tamen postea per oblivionem innocentem non contingit, in Instrumento Testamenti autem determinatam 600. florenorum summam exprimere prout à Notario? quæ præsumptio erroris potius est quàm doli; partim ex eo, quòd Notarius ex duplici illo falso, circa diem, & legati quantitatem in priori scripto omisit, non habuerit ullam spem lucri vel commodi; quæ causa est, ut celsus suspicio falsitatis, scilicet dolosa. Cravetta *conf.* 75. n. 13. Roland. à Valle *conf.* 38. n. 38. l. 1. Menoch. *conf.* 221. n. 4. *de Presumpt.* l. 5. *pres.* 20. n. 46. partim quia magnus & requisitus testium numerus interfuit Testamento; multitudo autem testium

testium tollit suspicionem falsitatis. Crav. conf. 65. n. 12. 13. Menoch. praf. 20. cit. n. 55. partim quia semper interpretatio sic facienda est, etiam aliquantulum extranea, ut falsum evinceretur. Grammaticus conf. 30. n. 8. Et conf. 33. n. 14. Mascard. concl. 745. citans alios. Gloss. in l. Juris gentium. §. quod vere. V. approbetur. ff. de pactis. Dein nec tertium falsi requisitum, scilicet damnum tertii, probari potest; cui enim noxium sit, si dies 30. pro 29. scribatur in Instrumento Testamenti? Ex quo capite inferitur damnum heredibus institutis, si legatum, quod in primo scripto non fuit annotatum, & à testatrice jam inventum & destinatum, primum in dicto Instrumento fuerit determinatum? quis scit, an testatrix non deliberaverit interea, an non plus legare velit, & sic potius minuere hereditatem heredibus institutis? Unde ergo probatur damnum illis illatum?

Ad contraria jam preparatam respondendi & expeditam habemus viam. Ad r. dist. M. sufficiunt conjecturæ & probabilis suspicio falsitatis, ubi ex circumstantiis illæ conjecturæ & suspicio non enervantur, vel non notabiliter debilitantur, trans. Ma. nam multi DD. dicunt cum Baldo & Socin. jua. conf. 31. n. 20. Et conf. 61. n. 1. 8. 9. lib. 2. imò ipse Decius in oppositum allegatus in l. singularia ff. si cert. pet. n. 31. Et conf. 189. n. 2. ait probationem falsitatis debere de necessitate concludere, adeoque (R. P. Picbler Decif. T. 2.)

conjecturas & præsumptiones debere esse concludenter. Sufficiunt, ubi ex circumstantiis enervantur, vel notabiliter debilitantur, & sic evadunt non satis concludentes. N. Ma. Patet autem ex dictis, & patebit ex dicendis, ita esse debilitatas vel enervatas, ut non amplius maneant firmæ, satisque concludentes, consequenter ut contra dolum, & pro Instrumento ac Notario, uti Jura regulariter volunt præsumendum sit.

Ad 2. Conjectura falsi ex appposito falso die desumpta non concludit, quia potius in his circumstantiis error innoxius, quam dolus, & animus decipiendi ac nocendi præsumi debet juxta dicta & l. quoties §. 1. ff. de heredib. instit. Adde, quod juxta multos adjectio diei non sit de substantia Instrumenti. Decius in l. si librarius n. 7. ff. de R. J. Mascard. concl. 644. n. 11. Natta conf. 146. n. 10. Pariter conjectura ex discrepantia referentis cum relato deducta non sufficit, quia rursus per errorem potius quam per dolum, id contigisse præsumendum est, uti supra notavi; debet enim, ubi potest, error potius præsumi vel oblivio, quam dolus, præsertim ubi scribentis nullum est commodum, interesse, vel lucrum, uti ex ista discrepantia nihil in Notarium lucri redundat, pro quo stat simul præsumptio Juris. Accedit, quod ex hoc, quod in primo scripto, ad quod facta est relatio, nihil sit annotatum, proin nec propriè discrepantia inferatur, item quod

* R

per

per hoc nemini sit illatum damnum aut præjudicium, & sic propriè falsum non sit commissum. Denique licèt regula sit, referenti non credi, nisi quatenus apparet in relato, illa tamen non procedit, quando relato non reperitur, in casu, quo disponens potuit liberè adhuc disponere (uti nostra testatrix liberè potuit) qui se refert ad aliud, ut notant DD. cum *gl. in l. admonendi C. de Jurejur.* ratio est, quia hæc videtur esse falsa demonstratio, quæ non vitiat legatum, uti est casus in *l. cum scriptum ff. de dote præleg. l. qui uxori ff. de auro § arg. legato. l. Lucius s. 1. ff. de Leg. III.* ubi dicitur Legatum valere, si testator legavit uxori dotem, quam se accepisse dixit, licèt nihil vel minus acceperit. Nec error Notarii partibus obesse debet. *arg. l. si librarius ff. de R. 7.*

Ad 3. Evidens quidem & manifesta est aliqua veritatis immutatio, at evidens non est, quòd sit dolosa, & alteri perniciosa, quæ duo etiam requiruntur ad falsum, prout Instrumentum vitiat, etiam in casu, quo tantum civiliter agitur, & satis probari non possunt, ut vidimus. Quid sentiendum de illo axioma, *refe-*

renti non creditur, nisi quatenus apparet in relato, paulò antè dictum.

Ad 4. *dist. Ma.* Vitiatur totum Instrumentum, si in parte substantiali appareat falsum, verè, dolosè, & perniciosè commissum. *trans. Ma.* nam oppositum tenent Aretin, Alciat. Boër. Fachinæus *l. 9. controuv. Jur. c. 79. § l. 1. conf. 94. n. 19.* quo in hac decisione quoad alia ut plurimum usus sum, ac multi alii apud Menoch. & Gabriel. si appareat falsum solum præsumptivè, non dolosè, & perniciosè commissum, uti hic, *N. Ma.* Ego in meo Candidato loquor de casu, quo dolosè commissum est falsum, uti ex meis probationibus, *ex can. 17. caus. 3. q. 9.* ubi de teste falsum dolosè attestante, & *ex c. 15. ac 20. de Rescr.* ubi de falsitate, per dolum à petente rescriptum proposita, sermo est, desumptis haud obscurè colligitur. Dein absolutè negatur. *Min.* nam legatum non est pars substantialis Testamenti, nec dici oppositio: ergo nec error circa illa commissus induxit falsitatem in parte substantiali, præsertim cum abfuerit dolus & damnum tertii, quorum absentia facit, ut ne quidem falsum dici possit esse commissum.

